



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

IX. Vt, si presbyter inconsulto episcopo agenda celebrauerit, honore priuetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

mittendum est, vt si quis forte presbyter ab episcopo suo correptus, aut excommunicatus, tumore vel superbia inflatus, putauerit separatim Deo sacrificia offerenda, vel aliud erigendum altare contra ecclesiasticam fidem disciplinamque crediderit, non exeat impunitus. <sup>m</sup> Valentinus primæ sedis prouinciæ Numidiæ, dixit: Necessario disciplinæ ecclesiasticæ & fidei congrua sunt, quæ frater noster Alypius profecutus est. Proinde, quid exinde videtur vestræ dilectioni, edicite: Si quis presbyter contra episcopum suum inflatus schisma fecerit, anathema sit. Ab vniuersis episcopis dictum est: Si quis presbyter a præposito suo excommunicatus vel correptus fuerit, debet vtique apud vicinos episcopos conqueri, vt ab ipsis eius causa possit audiri, ac per ipsos suo episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbia (quod absit) inflatus, secernendum se ab episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Dei obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat. Nihilominus & de ciuitate & congregatione, in qua fuerit, longius repellatur, ne vel ignorantes, vel simpliciter viuentes, serpentina fraude decipiat; quoniam secundum Apostolum: *Ecclesia vna est, vna fides, vnum baptismum*. Et si querimoniam iustam aduersus episcopum habuerit, inquirendum \* erit.

Cod. Can.  
c. 11.

Ephes. 4.

I X.

Numidius episcopus \* Massylitanus dixit: In quibusdam locis sunt presbyteri, qui aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audacter, præsen-

ANNO  
CHRISTI  
397.

te & inconsulto episcopo, complurimis in domiciliis agant agenda, quod disciplinae incongruum cognoscit esse sanctitas vestra. Genedius episcopus dixit: Fratris & coepiscopi nostri dignae suggestioni respondere non immoremur. Ab vniuersis episcopis dictum est: Quisquis presbyter inconsulto episcopo agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.

X.

\* Selabitanus

Felix episcopus \* Selemfelitanus dixit: Etiam hoc adiicio secundum statuta veterum Conciliorum, vt si quis episcopus (quod non opinamur) in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas, non posse plurimos congregare; ne in crimine remaneat, a duodecim episcopis audiat, & a sex presbyteris, & a tribus diaconibus, cum proprio suo episcopo. Genedius episcopus dixit: Quid ad hoc dicit sanctitas vestra? Ab vniuersis episcopis dictum est, a nobis veterum statuta debere seruari.

Cod. Can.  
12. & 13.

15. qu. 7. Felix 3. qu. 8. Suggestio secundum sta.

XI.

\* Abziritanus  
al. Abziritanus

Victor episcopus \* Abderitanus dixit: Roboranda est ecclesiastica disciplina, ne quisquam episcoporum alterius plebes, vel diocesim sua importunitate pulsare debeat. qui hoc facere tentauerit, quemadmodum coercendus est? Genedius episcopus dixit: Et lex sancta prohibet, & ipsa veritas definit, non debere quemquam aliena concupiscere. Proinde, quid etiam vobis omnibus placeat, propria voce signate. Ab vniuersis episcopis dictum est: Placet, secundum diuinæ legis & sancti euan-

Exod. 20.  
Deut. 5. & 7.  
Deut. 19.  
Ex. 27.  
Leuit. 22.

Matth. 5.